

PINGUEDO fit ex colliuatione adipis: estque grauior affectus in quibusdam, in alijs vero leuior. Nam qui plurimum habent pinguedinis & illius quidem admodum humida, ex minima causa illis innat pinguedo in vrina, adeo vt in tertianis & alijs prorsus salutaribus febribus huiusmodi appareant vrinae: in alijs vero corporibus non nisi ex grauiore causa fit colliuatio, quare lethale est signum huiusmodi vrina. Spectanda praeterea est forma & qualitas ipsius pinguedinis quae innat. Quaedam est similis pinguedini quae apparet in iure pulli: alia vero est ad similitudinem oculorum bouum: alia sicut tela araneae. Leuiorem indicat affectum prima: non tamen optimum & naturalem vt Montanus credit, qui putat vrinas sanorum talem pinguedinem habere debere. Nam praeter id quod Galenus & alij auctores hanc conditionem non ponunt in optima vrina, experientia etiam docet vrinas sanorum optime consistere absque tali pinguedine. Secunda autem species deterior est prima: & tertia est omnium pessima, vt quae maiorem colliuationem ostendat. In corporibus tamen quae facile colliquefcunt nonnunquam apparet huiusmodi vrina vbi nulla est causa praeter naturam.

De Corona. Cap. XXIII.

CORONAM in vrina appellant circulum illum qui est veluti linea quaedam diuersicolor deducta ad circumferentiam, & videtur circulus vrinam ambiens. Huius circuli substantiam esse tradit Montanus humidum existens in solidis partibus: quod, vt inquit, est substantificum vel nutrituale, & ob id hinc set illud esse toto genere praeter naturam & a calore igneo colliquari. Huiusmodi substantiam dicit assimilari pinguedini, & proximè ad illius naturam accedere, & esse aliquantulum crassam & viscidam, & eam apparere in iusculis pullorum, & esse humidum substantificum extractum ex concoctione. Occupat autem circulus hic superficiem: sed depressior est quam ipsa superficies quam spuma & ampullae obtinent, nam substantia coronae grauior est quam substantia spumae, & leuior est illis quae descendunt & innatant in vrina, propterea depressiorem habent locum quam spuma, & altiore nubecula. Porro huiusmodi substantiam elici a calore igneo colliquante, & ob id, vbi apparet talis circulus in vrina, adesse febres colliquantes & hecticas, & tabe adesse aut euitari non posse. Notat et in ipso circulo magnitudinem & paruitatem, quod multam & paucam materiam, aut magnam & paruam colliuationem ostendit. Praeterea odorem bonum aut malum & colorem subnigrum, quem ostendere coloris affationem & viridem adustionem, & alia nonnulla de corona hac tradit, partim bona, partim mala. Nam quae scribit de loco & situ ipsius, probabilia & vera esse puto: quod vero materia ipsius coronae sit humidum substantificum extractum a calore prorsus igneo & praeter naturam, & quod appareat solum in febribus colliquantibus, & talem ostendat praesentem vel imminetentem, puto haec omnia a ratione aliena. Nam experientia docet in plurimis sanis & in leuioribus morbis, maximè circa Autumnum tales appaere circulos. Praeterea si in iusculis pullorum qui moderatè sunt cocti apparet talis corona, non appaerebit in vrinis ubi fit affatio & alteratio a calore igneo & praeter naturam? nam Aristoteles & alij Philosophi bonas concoctiones quae in nobis fiunt, elixationi assimilant. Ridiculum praeterea est in his circulis odores diuersos describere, quis enim in eo qui lineam facit & perpetuo cum vrina est, commixtum peculiarem aliquem odorem deprehendere potest? Aliter ergo de his censendum est. Primo videntum est ex qua substantia circulus iste fiat. Ac mihi quidem videtur, quemadmodum nubecula, sublimamentum & sedimentum fiunt ex pituita, ita quoque coronam fieri ex humore melancholico, non quod totus melancholicus humor cum vrina misceatur, sed tenuior illius portio, & ichor quidam qui ab eo elicitur. Indicio est primum, quod circulus ille vt plurimum imò semper ad nigrum vel viridem vergat colorem, tum quod depressior sit superficie ipsius vrinae, quod sine aliqua grauitate fieri nequit. Propterea errat Montanus qui talem situm ei tribuit, & materiam illius statuit esse pinguedinem quae supernat vel depressum locum habere potest. Ichor autem melancholicus, qui non sit ipse melancholicus humor, non habet insignem grauitatem qua possit descendere, nec penitus descendere potest. Quare quum sit aliquid melancholicum, superficiem premit, & merito cum locum occupat qui coronae tribuitur. Adde quod huiusmodi circulus non solet apparere, aut certe sit exiguus in breuioribus morbis, sed euidentissimus sit in longis & Autumnalibus: quoniam scilicet humores melancholici & atrabilarij sunt redditi, & illis abundantibus maiores siue latiores & crassiores coronae apparent & conspiciunt. Vnde recte Montanus dicebat, in hecticis & tabidis febribus insignes esse coronas in vrinis: verum non ea ratione, ut ipse credit, quod scilicet pinguedo colliquata sit huius circuli materia: sed quia tales febres humores liquidiores consumat, & qui relinquunt corpore dissolutio melancholici sunt redditi. Qui potest his meliora docere in re tam perplexa & ab antiquioribus nequaquam animaduersa, doceat quae so, ita enim multorum labore res perficientur, & veritas elucescet.